

runt, quid iudicaret, ac sentiret in hoc casu. Dic nobis quid tibi videatur, licet censum dare Cæsari, an non? Ut notavit Chrysost. datus in expositione.

36. Tertio. Agnouerant Pharisei tributum à Domino solum, nam aliis tributorum exactores illud ab Apostolis exegissent, ut factum est. Capernaum, Matth. 17. n. 23. Et tamen hanc quæst. exponunt; agnouerunt enim fortè tantam esse Domini benignitatem, quòd quamuis ipse solueret tributum pro liberando populo, astrueret tributum non esse præstandum. E contra verò aulici volunt alios esse tributis addictos, se verò omninò immunes. Vna ex causis, ob quam Adura, qui sub Roboamo erat super tributa, lapidatus est à populo, 3. Reg. 12. n. 18. extitit, quòd durè, ac seuerè ad tributorum solutionem omnes cogere, se verò cum suis rebus ab illis omninò immunitatem esse volebat.

QUESTIO VI.

Quare Pharisei volunt capere Iesum in sermone contra Cæsarem, & non potius contra Dei Legem?

37. Apud iniquos plus proualeat ad poenam regis offensam, quam Dei iniuriam.

MNES rationes superiori quæstione assignatæ ad hoc tendunt, quòd Pharisei intenterant capere Iesum in sermone, in aliquo nempe prolato contra Cæsarem, ac eius tributa, cur non potius insidias parant Pharisei in Dei Lege, ac rebus, quæ ad Deum spectant? Ipsi obseruabant eum: Ut iraderent illum principatum, ac potestati præsidis; ad mortem nempe, & Pharisei agnoscebant, quòd apud iudices seculares, efficacior est ad perdendum offensa in regem, quam iniuria in Deum, & ideo seruis Dei frequenter obicitur imperiale mandatum, ut de eorum crimine, eos arguant, & damnent, ut obseruauit D. Ambros. lib. 5. Epist. 32. Dicunt, ait, licet tributum dare Cæsari, an non? Semper-ne de Cæsare seruis Dei inuidia commouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, ut imperiale nomen obtineat.

38. Ioan. 19.

Vehementer accusatur meus Iesus apud Præsidentem Pilatum à Pontificibus: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit, Ioan. 19. n. 7. Tantam iniuriam in Deum, ut ipsi falso existimabant, proclamant omnes, & tamen Præsidentem pro causa Iesus stans, de eius libertate cogitat. Tunc Iudæi iterum instant, & clamant: Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris, omnis, qui se regem facit contradicit Cæsari, ibid. n. 12.

Efficacior timor Cæsaris, quam Dei in Pilato.

Quid est, quòd cum Dei iniuriam despici vident, Cæsaris iniuriam proponunt? Et cur cum Deum offensum dicant, modò Cæsarem offensum addunt? Efficacior-ne apud iudicem appareret offensa Cæsaris, quam Dei offensa ad sententiam mortis contra Iesum proferendam? Pro certo sciebant Iudæi, quòd apud iniquum iudicem Pilatum plus proualeret imperiale nomen ad perdendum Iesum, quam quodecumque diuinum mandatum violatum, & ideo post existimatam Dei iniuriam, tanquam quid maius Cæsaris offensam præterdunt. D. August. homil. 5. de Passione: Maiorem timorem, ait, se ingerere putarunt Pilato terrendo de Cæsare, ut occideret Christum, quam superius, ubi dixerunt: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Et sic reuera

August.

contigit; nam quando Iudæi contra Christum, tanquam magnum crimen obitientes, quòd Filium Dei se fecit, cogitat præsidens liberare eum de manibus eorum. At verò cum iterum clamant, Non habemus regem nisi Cæsarem. Immediatè addit Euangelista: Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur, ibid. Ioan. 19. n. 15. Cum audit crimen ad Cæsarem spectans, iam non restitit, ut antea faciebat prolata iniuria Dei, sed tunc tradidit eis illum, ut crucifigeretur.

Ioan. 19.

QUESTIO VII.

Quare cum Pharisei blandè Christum interrogassent, ipse asperè respondet, Hypocritas vocans?

HYPOCRITA ex sua prima significatione nomen est Græcum significans illos, qui vultibus laruas superponunt, quales sunt representantes comediarum, cum alienas personas effingunt, hinc transferunt ad illos, qui se exterius bonos, ac lenes ostendunt, cum intus sint mali, ac venenosi; Ex quo ad quæstionem patet.

39.

Hypocritas quis significet?

Prima solutio communis omnium Patrum D. Hieron. D. Paschal. Hilar. ac aliorum. Hos interrogatores, qui blandè quæsierant: Magister scimus, quia verax es, &c. Seuerè, ac coram omni populo eos vocat Christus hypocritas, ostendens quòd eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret. Ex quo eleganter ait D. Chrysost. homil. 41. in Imperfecto: Dicit eis hypocritas, ut quòd ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inuenirent in corde, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quòd facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quòd Pharisei quidem blandiebantur, ut perderent, Iesus verò confundebat, ut saluaret, quia vtilior est homini Deus iratus, quam homo propitius.

40.

Hieron. Paschal. Hilar.

Chrysost.

In ira Dei misericordia relucet.

Exorabat Dauid Dominum dicens: Ne declines in ira à seruo tuo, Psal. 26. num. 9. Deum etiam non volebat à se recedere, sed eum secum habere, ac retinere, sciebat enim quòd inter ipsas iras Deus sæpè misericordiam diffundit, vnde pulchrè ait D. Augustinus; Quid times, ait, ne declinet in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit: Opta ergo potius, ut declinet à te in ira, non accedat; quid nouit enim? Quid desideras? Ira eius non est nisi auersio eius.

41.

Psal. 26.

August.

Secundo. D. Chrysostomus homil. 71. Quia magna, & aperta utebantur malitia, maius ipse quoque vultus intorquet, confundens eos, atque illorum ora obstruens: hoc faciebat, ut eorum repressa nequitia nunquam aliis similiter delinquerent. Quia aperta erat Phariseorum nequitia, ideo aperte, ac publicè eos Dominus arguit, publica peccata publicè castiganda. Deinde, Quia eorum repressa nequitia nunquam

42.

Chrysost.

nunquam aliis similiter delinquerent. In eos durè, & asperè inuehitur, ut exinde à simili nequitia, ac malitia desistant; nam sæpe multa iniuriarum patientia occasionem ministrat ad iniurias inferendas. Vide supra cap. 17. num. 94. & cap. 44. q. 8. num. 46.

43.

Abulens.

Math. 12.

Tertio. Abulens. q. 94. Quid est quòd Christus Dominus ait, interdum ad verba dura respondet blandè, & ad verba blanda respondet durè; nam supra Matth. 12. n. 24. Cum dixerunt Pharisei, non eycit demones nisi in Beelzebub principe demoniorum. Christus blandè respondet, per solam rationem eos conuincens, scilicet. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Et in eodem cap. blandè loquentes Pharisei: Magister volumus à te signum videre. n. 38. rigide, ac seuerè ad eos loquitur Christus. Generatio mala, & adultera signum queris. Sicut & in præsentem cum blandè ad ipsum loquuntur. Magister scimus, quia verax es: asperè respondet. Quid me tentatis hypocritas? Cui quæstioni sic satisfacit citatus Abulens. Hoc faciebat Christus ad ostendendum in vitroque virtutem, scilicet ne duris exacerbatus propter impatientiam videretur durè respondere; quando autem blandè loquebatur, durè respondebat, ne eorum blanditiis, & adulationibus videretur consentire.

In iniuriis lenitas, in adulationibus seueritas.

44.

Cyroll.

Quarto D. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. in Isaiam, Obserua igitur, ait, quo pacto redarguat palantes, & blandientes repellat; non enim adhaerebis his: qui impiè affecti sunt, quique leporem orationis, tanquam fraudulentiæ, & versutiæ personam sibiipsis attribuunt. Quamuis Phariseorum discipuli valde officiosi honorificentissimis verbis, ac obsequiis accessissent, seuerè repellit Christus, hypocritas, ac tentatores dicens, agnouerat eos officiosos palpatores; & ideo nec per minimum tempus eos secum Christus paritur absque eo, quòd eorum malitiam detegat, ut inde instruantur principes, quòd huiusmodi adultores eis maxime sint suspecti, ut eorum dictis non acquiescant, sed maxime à se repellant, ne ob eorum verba vis iustitiæ impediatur, & mala impunita permittantur.

Principi abigat adulator, ne iustitia impediatur.

45.

Audito sermone de cælesti pane, multi discipuli abierunt retrò. Tunc Christus Dominus ad duodecim conuersus dixit eis. Vos vultis etiam abire? Respondit Petrus. Domine ad quem ibimus? verba vite æternæ habes; & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Ioan. 6. num. 69. Tunc diuinus Magister sic Petro retulit. Nonne ego vos duodecim elegi? & ex vobis vnus diabolus est. Ibidem num. 71. Quid est Domine, quod tuum discipulum, te summe reuerentem, ac amantem de te vera, & certa diuina fide confitentem, tam acerbè pungis, in tantamque anxietatem deuenire facias, ut ei dicas: Vnus ex vobis diabolus est. Dulces laudum cantationes duro sermone auersatur. Vti cunctis principibus daret exemplum, quòd suauia, ac honorifica verba, minime exipient, nec eorum decantatoribus beneuolos exhibeant se, sed acri morfu eos à se abigant, & repellant. D. Chrysostomus homil. 46. in Ioan. Ne quis, ait, assentationem suspicaretur, ita locutus est; quasi dicant, nihil mihi persuadet, ne malos arguam. Nolite me laudum vestrarum gratia vobis adulaturum.

Ioan. 6.

Chrysost.

46.

Cum venisset Samuel ad arguendum Saül eo quòd contra Domini mandatum, reuerasset Agag Regem Amalech, eorumque optimis pepercisset, excepit Prophetam Saül honorificis verbis. Benedictus tu Domine. 1. Reg. 15. n. 13. & postea. Vt Sylueira in Enang. Tom. IV.

1. Reg. 15.

immolarentur Domino Deo tuo. Valde honorifica erant hæc verba Samueli, eumque benedictum Domino dicebat, singulariter Dei dilectum appellabat, Domino Deo tuo. Quid his auditis locutus est Samuel ad Saulem? Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus est Dominus, Ibidem n. 16. preme verbum sine me. Qui, & Propheta, tibi manum iniecit; quis te, quæso, detinet, ut petas sine; tanquam si dicas. Cogitas o Rex, quod tuis laudatoriis vocibus tanquam compedibus me tenes, ac alligas, ut frequenter sit apud homines adulatoris cantionibus; ne tibi verbum Domini annuntiem, sine me, quia hæc tua verba ferre non possum, & indicabo tibi Domini sententiam. Abiecit se Dominus, ne sis Rex super Israel. n. 23. D. Gregorius Papa ad citatum locum eleganter. Ac si, ait, laudatorem suum electus præsul honesta grauitate derideat, dicens: quid me laudas, loqui tibi dura non possum. Sine ergo, id est, permittite me loqui, & ea, quæ sum locuturus, intellige. Rationem subdit. Et quia placere se laudando adultores credunt, audire ab eis dura, quos laudant, nequaquam credunt.

Laudes ligas apud homines tanquam compedes.

Gregori.

Matth. 22. n. 20. Et ait illis Iesus: cuius est imago, & superscriptio? Num. 21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.

VERSIONES.

Paginin. n. 20. Cuius est imago ista, & inscriptio? Arabicus. Cuius est figura hæc, & inscriptio? Syriac. n. 21. Date ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 16. Cuius est imago hæc, & inscriptio? Luc. 20. n. 25. Et ait illis, reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo. Num. 26. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius tacuerunt.

EXPOSITIO III.

IT illis Iesus. Cuius est imago hæc, quem nempe representat hæc imago? & superscriptio, seu inscriptio, ut habet D. Marcus, id est cuius nomen est hoc exaratum in nummo? Sicut nunc, ita olim solebant Principes, ac Reges in moneta suam imaginem, & arma, ad extrema verò suum nomen, inculpta exhibere. Interrogabat verò eos Christus Dominus non quòd ignoret, quòd omnibus erat manifestum, sed ut inquirunt D. Chrysost. Paschal. Cathusian. & alij, partim ut ex eorum dictis, quæstionis solutionem extorqueat, ita ut non possint aliquid respondere; partim etiam, ut ostendat, terrena ista non esse sibi curæ, qui totus ad cælestia in tentis ea tractabat, ac agebat.

47.

Chrysost. Paschal. Cathus.

48.

Dicunt ei, *Caesaris*. Tiberij nempe, quo imperante passus est Dominus. *Reddite ergo*. A quaestione proposita. An Iudaei tenerentur iuste solvere tributa Romanis, quae erat quaestio maximè anceps, & odiosa populo secundum partem affirmatiuam; secundum verò negatiuam Caesari, ab hac ergo quaestione directè se abstinere Dominus, & non vult disputare, nec examinare, an Iudaei iuste facti essent Romanorum subditi, ac tributarij, vel iniuste, & tyrannicè. Quaestio erat agitata. Nam Pompeius vocatus ab Hircano, & Aristobulo fratribus, nepotibus Simonis Pontificis, qui fuit frater Iudae Machabaei, de principatu, ac Pontificatu Iudae inter se contententibus, vt inter eos litem ditimeret, ipse verò iniquè illis exclusis ab eis principatum ad Romanos transtulit, totumque regnum Iudae, eis fecit tributarium; Aliunde verò poterat pro Romanis allegari, quod res iam abierat in praescriptionem, quia iam centum anni erant elapsi, ex quo Pompeius inuasit regnum toto populo Iudaeorum tacente, & consentiente. Ab hac ergo quaestione abstrahit Dominus, & praesupponit factum, Ac si dicat Dominus, ostensa hac moneta, in qua est imago, ac inscriptio Caesaris, vos ostenditis illius subditos, eumque vos habere in principem qui habet ius eundem denarium, numisma census, & vt etiam vult Baronijs ex Lampridio in eo pretio, & pondere, quo illa sibi volebant in tributum pendere, Reddite ergo, ait, quae sunt Caesaris, Caesari, seu Principis, principi ad sustentanda onera Reipublicae saltem pro conseruanda pace, ac redimenda vestra vexatione, ac oppressione. Ita Ianfenius, Barradas, Franciscus Lucas Burg. Cornel. & alij.

A quaestione cuius adisti abstrahenda.

Baron.

Iansen. Barrad. Burgenf. Corncl.

49. Hieron.

Origenes.

Et quae sunt Dei, Deo: reddite, nempe. Didrachma scilicet, decimas, oblationes, & victimas, vt ait S. Hieronymus in Leuitico praescriptas. Quae Deo iure supremi Dominij debentur solui a vobis, vt pote a suis creaturis, ac fidelibus. Orig. homil. 21 in Matth. *Nec enim*, ait, ex eo quod reddat quis Caesari, quia Caesaris sunt, impeditur reddere Deo, quae Dei sunt.

QVAESTIO VIII.

Quare dixit Christus Dominus potius reddite, quam date, quae sunt Caesaris, Caesari?

50.

NOTANDUM est, quod ait Christus Dominus: *Reddite Caesari, quae sunt Caesaris*. Dixit *Reddite Caesari*. Non verò dixit: *Reddite exactoribus*, quia suauius esset subditis, si tributa soluerent principi, non verò ministris, à quibus multas molestias, ac vexationes patiuntur. Vnde Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. Epist. 19. sic loquitur. *Portus nostros*, ait, *navis veniens, no expauescit, vt certum nauis possit esse naufragium, si manus non incurrerint exigentium: quos frequenter plus affligunt damna, quam solent vndare naufragia*. Certius, ac periculosius naufragium incurrit navis veniens inter exactorum manus, quam inter duos scopulos, ac vndarum vortices, plusquam periculi timendum est à voraci exactorum procella, quam à feruida saeuientis pelagi tempestate; nam ab atroci tempestate saepe felicitate aspirante prosperè euadit nauis, à rapaci exactorum auaritia nullus est, qui effugiat. Ad quaestionem

Cassiodor.

Omnia bona naufragantur apud tributorum exactores.

Respondet ex D. Chrysofomo Theophylactus in cap. 20. Luc. *Vide*, ait, *quia non dixit, date: sed reddite; Debitum, inquit, est: reddite igitur debitum. Custodit te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacatam facit. Debes itaque ei pro his tributum.* Christus, & iubet, vt tributa exsoluantur principi, quia illi debentur, reddenda sunt illi vt debitum, non verò dantur, vt donum. *Custodit te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacatam facit.* Ac proinde ad onera reipublicae, ad oneraque pacis, & belli pro populo custodiendo, & conseruando tributa sunt principi praestanda. vt docent D. Thomas de regimine principis lib. 4. cap. 6. Abulensis ad cap. 7. Deuter. q. 9. Salmeciron. tom. 4. par. 1. tract. 6. quod communiter comprobant omnes ex loco Pauli Roman. 13. n. 6. *Ideo tributa praestatis, ministri enim Dei sunt.*

Theophyl. Principi debita sunt tributa ad onera reipublicae. D. Thom. Abulens. Salmeciron. Rom. 13.

Et expendendus est modus loquendi diuini Magistri. *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo.* Non cogitent Reges omnia ipsis esse reddenda, sciant aliqua esse eis debita, aliqua & Deo, alia verò ipsis Dei imaginibus, vt ipsi vident, & comedant; non ergo reges omnia sibi velint vsurpare, nec etiam multi sint in huiusmodi tributis imponendis. Mandat Deus Moysi, quod cum vrbs expugnanda fuerit à filiis Israël. *Si receperit, & aperuerit tibi, cum eius populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo.* Deuter. 20. n. 11. Expende extrema verba, *sub tributo*. Cur non dixit *sub tributis*? vt denotaretur quantus modus sit habendus in tributis exigendis, ne populus illis nimis grauetur. Phil. lib. de Creat. principis. *Qui suis*, ait, *parcunt provincialibus vno contenti tributo, ne subditos redigant citò ad extremam inopiam.*

52. Princeps non sit multus in tributis imponendis.

Deuter. 20.

Philo.

53.

Gen. 49.

Compone hoc, quod proximè citato loco dicitur de populo. *Seruiet sub tributo*. Cum hisque de Isachar in suis benedictionibus ait Iacob. *Isachar vidit terram, quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Gen. 49. n. 14. Cur non sub tributo, vt dictum est de populo, sed sub tributis? Habitabat ipse in terra optima, & opulenta, quae vberes, ac fertilissimos fructus ferebat, ita vt necesse essent humeri ad tanta onera portanda. Ideo factus est *sub tributis*. Caietan. *Morale*, ait, *hoc est principibus, vt cultores feracis regionis, plus fructuum concipientes, plus grauentur.* Qui enim multis diuitiis, ac mercibus est opulentus, Isachar in Hebraeo, idem est, ac *merces*. Quique multorum agrorum fructus colligit, aequum est, vt maiora tributa pendat, quam populus simplex, & pauper qui multis eget. Ex quo vt aduertit Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. quod *Propheta apud Aegyptios praest distributioni tributorum.* Ac si ad colligenda tributa, non satis sit vt probus, & prudens, Deoque dedicatus, sed insuper desideretur Propheta, vt scientia à Deo insula pranoscat, quantum tributi vnusquisque pendere possit.

Diuites, ac potentes maiora exsoluant tributis. Caietan.

Clem. Alex.

54.

Et admoneo ad calcem quaestionis, quod non dicant Reges, quod breuiter pro hac vel illa occasione tributa imponant. Sciant quod tributum semel impositum, perpetuo durat, & nunquam aufertur. Transacta fame dat Ioseph Aegyptiis femina, vt serere valeant agros, ea tamen conditione, vt quintam partem de fructibus dabunt Regi. Subdit textus. *Ex eo tempore vsque in presentem diem in vniuersa terra Aegypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem.* Genes. 47. numero 27. A quo tempore haec tributis

Tributum semel positum perpetuum est. Gen. 47.

tributi lex manauit? A tempore Ioseph, per tota tempora saecula vsque ad Moysis aetatem, imò forte vsque ad nostra tempora. Cur tota temporum mutationibus, totaque Regibus etiam alienigenis regnantibus in Aegypto, huiusmodi tributis memoria non est abolita, ac sublata? Tributum fuit semel impositum, & inde ita fixum, quod quamuis regnum mutaretur, ipsum tamen semper stabile permaneret, ac perseueret. Abulens. ibi: *In quo*, ait, *magna patet solertia Regum circa subditos in recipiendis redditibus, quia in tantis temporum circulationibus, & varijs, quasi mutatis mundi euentibus, nunquam illi iura abolere potuerunt, licet haec satis Aegyptius desideraret.*

Abulens.

QVAESTIO IX.

Quare Christus prius dixit reddenda Caesari, quam Deo?

55.

Principibus parendum in his, quae non repugnat legi Dei.

Chrysof.

56.

Abulens. De Caesare erat quaestio proposita.

57.

Origen.

Diaboli nequitia renuntianda, vt Deo seruiat.

58.

Theodor.

Paschal.

IT Christus Dominus in praesenti: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo.* Per haec admonet Dominus, quod Caesari ea sunt reddenda, quae Caesaris sunt, in hisque illi parendum, quae ad ipsum spectant, non verò in his quae Dei sunt, ad Deumque pertinent, ac proinde principi nullo modo est obtemperandum in his, quae pietati, religioni, ac legi Dei nocent; haec enim diuino iuri repugnant. Nam, vt ait, D. Chrysofomus homil. 71. *Tu vero*, ait, *cum audeas reddenda esse Caesari, quae sua sunt: illa solum dicit non dubitat, quae pietati, ac religioni nihil officium: Nam quod fides, ac virtuti obest, non Caesaris, sed diaboli tributum, & uehigat est.* Quaestio praesens est, cur Christus prius dixit reddenda Caesari, quam Deo? *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo.*

Respondet primò Abulensis, & ad litteram quaest. 102. Quod Christus prius dixit de debitis Caesaris, quia de istis fuit quaestio proposita, & non de debitis Dei; debita autem non inducuntur hic principaliter, sed accessorie, vt Dominus adaequate responderet quaestioni Pharisaeorum, scilicet quomodo staret, quod homo esset tributarius Deo, & homini, & ideo dicit, quod non obstante quod Caesari soluatur, quod suum est, etiam Deo reddatur, quod suum est.

Secundò. Origenes tract. 21. in Matth. *Quoniam*, ait, *habemus quaedam in nobis, quae sunt principis huius mundi, id est, diuersas malitias, & non possumus prius reddere Deo, quae Dei sunt, nisi reddiderimus principi, quae principis sunt; id est, nisi deposuerimus malitiam vniuersam.* Per Principem in Caesare significatum intelligit Origenes diabolum, peccatumque. Deo enim non possumus bonorum operum debitum reddere, nisi prius omne peccatum, omnemque diaboli malitiam à nobis abstulerimus, tanquamque eam in suum auctorem reiticientes, à quo expediti Deo debitum reddere valeamus.

Tertiò. D. Ambrosius in cap. 20. D. Luc. *Bene*, prius, ait, *quae sunt Caesaris, reddenda decernit, neque enim potest quis esse Domini, nisi prius renuntauert mundo.* Similiter D. Paschal. lib. 10. in Matth. *Vosmetipsos*, ait, *reddite Deo, quod omnino non potestis, nisi vos primum exuatis a censu Caesaris, quatenus deinceps liberi sitis.* Et ideo prius reddite, quod alienum est. Prius ait, reddite Caesari, Sylueira in Euang. Tom. IV.

deinde Deo. Vt enim quis ad Deum accedat, ipsique adhaereat, hoc maximè curare debet, vt mundialibus omnibus renuntiet, ab hisque animum deponat, ac se exuat, cum ergo ab omni saeculari cura fuerit exutus, tunc valebit Deum induere, ac ea quae Dei sunt, agere, & ministrare.

Depona terrenam, vt Deum habeas.

Cum Deus descenderet ad legem dandam in monte Sinai ob voces, lampades, & sonitum buccinae, ac montem fumantem, magno terrore, ac panore concussus erat totus populus. *Stetitque populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus*, Exod. 20. num. 21. Quid est magne Dux, quod cum tuus populus sit tanto timore percussus, ipsum deseris, ab eoque te elonginquas? Cur non potius cum eo manes, vt ipsum valeas corroborare, ac confirmare? *Accessit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus.* Vt Moyses accederet ad Deum, necesse fuit recedere, ac se elonginquare à populo, hoc est, à mundo. *Accessit ad caliginem.* Deus lux, & splendor est, quomodo Moyses ingreditur caliginem, in qua Deus erat? Ingreditur nubem nempe densam, & opacam, quae Moyses circumdatus terram aspiceret non valet, vt diuisis, ac separatis oculis à terra Deum intueri, ac aspiceret posset. D. Gregor. Nyssenus, lib. de vita Moysi: *Ad penetrabilia diuinorum ingressus, nec Iudaeis amplius visibilis, solus erat cum inuisibili, vt nos instrueret his gestis (vt arbitror) quod oporteat, si qui velit esse cum Deo, omnia haec, quae videntur continere, & mentem suam ad inuisibile, atque incomprehensibile, quasi ad summum montis dirrigere.*

59.

Exod. 20.

Separandus animus à mundo, vt Deum intueatur.

Greg. Nyss.

60.

Math. 24.

Ait Christus Dotainus: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquila*, Matth. 24. num. 28. Cur solas aquilas meminit ad corpus Iesus congregandas, cur etiam columbas non introducit, quae ob niueum candorem, maximè celebres sunt in Scriptura? Aquila inter omnes aues altissimè volat, seque maximè elonginquat, ac separata terra, vt Solem intueatur; sicque necesse est ad alta tendere, terrenisque renuntiare, cum quis velit diuinis attendere. D. Chrysofomus homil. 24. in Epistol. 1. ad Corinth. *Aquilas autem appellat, ait, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed & ad superiora semper volare, & in Solem iustitia inueneri, mentisque oculum acutissimum habere.*

Ad alta tendere, vt Deum attendas.

Chrysof.

QVAESTIO X.

Quanam sunt reddenda Caesari, quae sunt Deo?

OC iam explicati in expositione. Regibus danda sunt vestigalia ad sustentanda communia onera Reipublicae. Deo verò dandae sunt decimae, oblationes, & vota, vt explicant D. Augustinus in sentent. sentent. 14. iuxta illud Psal. 75. n. 12. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius offeritis munera.*

61.

August. Psal. 75.

Vnde cognoscant Reges, ac Principes, quod aliud est ius imperiale, aliud ius Dei, vt in his, quae ad Deum spectant, non se intromittant. Vnde dicebat D. Ambros. Epist. 33. ad Marcellinam fororem de Valent. Iunioris Ecclesiam pro Arianis postulante: *Noli te gravare imperator, vt putes te in ea,*

62.

Ambros.